

presentare malefactorem ad presentiam dominii sub certa pena, de parendo iuri vel de solvendo condempnationem factam in eum, et malefactor non pareret iuri vel non esset solvendo condempnationem predictam, fideiussor vel fideiussores in tantum condempnentur in quantum malefactor condempnandus foret secundum formam statutorum Tergesti; si cassus vero acciderit quod condempnatus moriretur, fideiussor vel fideiussores in tantum condempnentur de quanto malefactor securitatem dedisset. Si vero vulneratus evaderet, condempnentur fideiussores unus vel plures in pecunia, secundum formam statuti civitatis Tergesti, quas vero penas dominium Tergesti exigere teneatur. ¶ Si vero vulneratus perderet membrum aliquod, puniatur fideiussor vel fideiussores, qui securitatem fecissent pro malefactore, a fideiussione pro ipso facta inferius in discretione dominii, et nichilominus malefactor baniatur a civitate Tergesti in perpetuum, qui si comprehenderetur puniatur secundum formam statutorum civitatis predictae. ¶ Si vero malefactor debilitaret membrum aliquod vel ipsum obtruncharet et fugeret de civitate Tergesti taliter quod
180 B haberi non poterit, fideiussor vel fideiussores // componant comuni libr. par. centum. ¶ Et nichilominus ille malefactor sit banitus donec solverit¹⁾ condempnationem in eum factam. ¶ Insuper volumus quod, si qua persona fecerit securitatem vel fideiussione pro alia persona de aliquo malefitio, quod prius conveniantur principales persone¹⁾ condempnate quam fideiussores, salvo si persone condempnate non essent solvende, et salvo si essent persone forenses pro quibus talis securitas facta esset.

Cap. CVII. De condempnacionibus excuciendis.
R. c a.

Statuimus quod potestas iudices vel rectores comunis Tergesti sint solliciti²⁾ et studiosi de dando procuratori comunis operam cum effectum in exigendo omnes condempnationes

¹⁾ Aggiunta marginale. ²⁾ *saliciti*.